



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale, || In Qvo || Vniversa || Materia De ||
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per
Quæstiones explicatur**

Eisengrein, Martin

Ingolstadii, 1577

VD16 E 795

XII. V. Co[n]fessio facta Sacerdoti, qui ignoret inter lepram, & no[n] lepram
distinguere, inualida sit & iteranda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30362

NEquaquam: Quia non potest aliquis, *Respōsio.*
quantumcunq; pollutus sit, Sacramen-
ta Diuina polluere. Idcirco ab eo (quousque
iudicio Episcoporum reprobetur) commu-
nio percipienda est.

Facit huc etiam ratio; quia Sacramenta
Ecclesie non merito ministrantium inni-
tuntur, sed Christi institutioni, & meritis
eiusdem; quemadmodum Baptismus, à cri-
minoso Sacerdote ministratus, & Euchari-
stia à malo Sacerdote confecta, vera atq; om-
nibus numeris perfecta sunt Sacramenta.

Deinde, si Absolutio Sacerdotis, qui est
excommunicatus (saltem generaliter) valet;
quid ni valebit impensa ab eo, qui nullo mo-
do est excommunicatus, quamuis peccato
mortali sit obnoxius?

Quæstio

XII.

*Estne Confessio facta Sacerdoti, qui
ignoret inter lepram, et non lepram
distinguere, inualida, &
iteranda?*

CONFESSIO facta Sacerdoti adeò pec- *Respōsio.*
catorum omnium ignaro, vt nequeat
inter mortiferum scelus et peccatū leuiuscu-
lum distinguere, planè inualida est & iteran-
da. Veruntamen, si pœnitens eius est erudi-
tionis, vt ea ipse internoscere valeat, ac di-
stinguere; non ita multum refert doctus an
indo-

Caput IIII. De Confessionis

indoctus fuerit Confessarius. Confessio enim rata erit, neq; iteranda.

Vna tamen hinc obseruanda venit cautio; nimirum, cum poenitens aduertit Confessarium non intelligere peccatorum diuersitatem, vt eum instruat de peccati grauitate, seipsum accusans, quod huius aut illius generis peccatum lethale commiserit. Quare, si quis ita confiteatur: hominem occidi, & recte; ed, quod is prior meum interemerit patrem. Huius vana est Confessio, propterea quod Confessarium mittat in errorem.

Si verò tam poenitens, quam Confessor iuxta ignoret peccatorum eorum discrimina, quae communiter ignorantur, talis ignorantia non impedit. Nulli enim contingit inter omnia peccata scire de quolibet, an sit mortale, vel non.

Si autem ignorantia sit magna eorumque criminum, quae a paucis ignorantur, (vt quod iuramentum falsum, vel quod vindicare se de iniuria accepta non sint peccata) crediderim profecto, quod teneretur iterare Confessionem: Quia cum Confessarius non intelligit peccata illius; sane neque ille confiteri censetur. Nam quomodo imponet poenitentiam, aut quomodo absoluet eum, cuius peccatorum grauitatem discernere nequit?

Quaestio
XIII.

*Estne Confessio facta Sacerdoti quidem,
sed non aduertenti ad peccata confitentis,
valida, vel iteranda?*

Sine